



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Caput CCXXXIII. De Occisione XXV. Lethowinorum per fratres de Raganita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.**Meneko de Querfurt XIII. Mag. Prov. in Prussia*

navem assumerent, & à captivitate infidelium liberarent; Unde quidam Lethovinus, Nodam nomine, vir in armis strenuus, qui tamen postea conversus ad fidem Christi in ea feliciter obdormivit, assumptis sibi LX. viris ad dictum negotium peragen-dum, veniens ad locum aptum, ordinavit, quod ille vestitus ve-ste muliebri sedet in littore, alii latitabant in vicino. Non longè post Commendator, peracto negotio suo, dum appropinquaret, ille miser traditor cœpit voce flebili clamare & petere, ut eum ad navem sumerent, & animam suam Christi sanguine redemptam à servitute Diaboli liberarent. Quo audito dictus frater Erneko misertus sui accessit ad littus, statim ille rapiens navem firmiter tenuit, & vocatis sociis suis irruerunt in eos, & omnes occiderunt.

ANIMADVERSIONES.

(a) Strykovski legit Ermelio.

(b) Colainum prima erat Lithuaniae arx ad Nemenum versus Prussiam. Kojalovvicz loc. cit. pag. 193. Nicolaus Jeroschinus castrum hoc modo Kalayn/ modo Colayn appellat. Hoc Colaynum antea à Cruciferis destructum, à Surmino est instauratum.

CAPUT CCXXXIII.

De

Occisione XXV. Lethowinorum per
fratres de Raganita.

Ex hoc eventu Lethovini magnam audaciam sumpserunt, sic quod in die nativitatis B. Joannis Baptista proximo sequenti de confinio castri Onkaim XXXVI. viri egredientes ausi fuerunt contra fratres de Raganita sua latrocinia exercere; qui dum appropinquarent mittentes sortem secundum ritum eorum compertum fuit, quod eis prospere succedere non deberet. Unde statim

Rr 3



PARS TERTIA

Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.
Meneko de Querfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.

statim iter redeundi sunt aggressi. Fratres verò de Raganita turbati de interitu suorum, futurum periculum præcaventes, miserant nuncios, qui vias custodirent, quorum unus cum festinatione reversus, ait: Se prædictos latrunculos vidisse. Unde frater Ludovicus de Libencele & Fr. Marquardus de Revelinge cum duobus fratribus & XXVI. armigeris secuti, invaserunt eos in quodam campo & XXV. ex eis occiderunt.

CAP. CCXXXIV.

De

Morteferè quingentorum Lethovvinorum.

¶ Odem anno & tempore (a) Sesbuto Lethovinus cum quingenitis viris præelectis intravit Poloniam, & præter multa mala, quæ ibidem gessit, duxit secum tam hominum quam aliarum rerum magnam prædam. Ille Sesbuto licet esset cum infidelibus, occulte tamen dilexit fratres, antequam exiret cum isto exercitu, præmunitivit eos. Unde Magister fratrem Henricum (b) Zutsvvert XXIX. fratres cum MCC. viris misit eis in occursum, qui venientes in solitudinem inter duos fluvios scil. (c) Liccam & (d) Naram per octo dies ipsos cum magno tædio & defectu victualium exspectabant. Tandem dum revertentes essent in vicino, primus Lethovinus in acie missâ sorte clavavit: Væ nobis male ibit negotium nostrum, quem Capitanus increpavit, ut taceret. Ille autem non cessavit id ipsum clamare, quo usque fratres cum suis de insidiis erumpentes infilirent in eos, & (e) CCCL. ex ipsis occiderent, alii fugerent, & in solitudine quidam præ tristitia se suspenderunt, reliqui siti & fame attriti moriebantur, sic quod pauci sine mortis periculo evaserunt.

AN-

miti

